PETRI NANNII FUNEBRIS ORATIO HABITA PRO MORTUO CONRADO GOCLENIO

Pieter Nanninck

REVERENDISSI
MO ET AMPLISS. D. DOMI-
no Iacobo Fliſco Epiſcopo Sauonenſi
Petrus Nannius S. D.



NVllum unquam librũ interpretandum ſuſcepi, in quem non ſatis prolixe præfatus ſim. Si quæras, ubi tot ſunt oratiões? unico ſemper reſpõſo occurram, perierunt. Perfidiane meorũ, an mea ipſius culpa? non diffitebor meam diſſolutiſſimam negligẽtiã. Simul ut cõpoſui, negligo omnia, ita ut dũ latent inter uiliſsimas ſchedas, ſæpe ab ancilla euerrantur pro purgamentis. Iſtam, quam nunc edo, funebrẽ orationẽ, amici mei Morilloni, uiri & eruditione & moribus laudatiſsimi, cuſtodia incolumẽ ſeruauit, alioqui eodẽ fato, quo reliqua mea ſcripta, perfuncta fuiſſet. Id ſi uitium dicas, tuebor me exẽplo Sybillæ, quæ quanquam oracula ſcriberet, nullã tñ curã adhibuit ſeruãdis ſuis uaticinatiõibꝰ, ac proinde exiſtimo nugarũ cuſtodiendarũ incuriam, uitio uerti mihi nõ deberi. Addam deinde & iſtã excuſationẽ, uitium illud, modo uitiũ ſit, modeſtiæ potius, q̃ philautiæ culpam eſſe. Qui enim ſua admiratione proſequitur, is quia ea meros theſauros putat, omnibus clauſtris & ſeris metu furis communit: qui autem ſua contemptim habet, nulla ea cura aut cuſtodia dignatur. Cæterum cũ iſta præter ſpem incolumis reperta eſſet, tuo eam nomini conſecrare uolui, ut ex amplitudine tui nominis, gratiam ſimul apud uulgus, & authoritatẽ caperet. Quædã habẽtur magna, nõ quod ipſa talia ſint, ſed quod in loco maieſtatis pleno conſtituta ſint. Sic in ſacro luco ſteriles arbores, imo putridæ & carioſæ, uenerationẽ habent. Feres igitur nõ grauatim, ampliſsime & humaniſsime Præſul, hanc quoq; orationẽ tibi dedicari, quæ cũ ſorores ſuæ illæ aliæ tres orationes, ſub tuo titulo in lucem exiiſſent, noluit minori nomini conſecrari.

Bene uale. Louanii calendis Ianuariis. xlii.

PETRI NANNII FVNEBRIS ORATIO HABITA PRO MORTVO CONRADO GOCLENIO.



LII qui funebres orationes habent, unum id plerunque agere soliti sunt, ut magni uideantur quos laudibus extollendos suscepere. Sic Pericles, qui in bello Peloponensi. sic Demosthenes, qui in Philippico ad Cheroneam. sic Cicero, qui apud Mutinam perierunt, quātis potuere encomiis celebrauerunt. Mihi contra in istiusmodi rebus nihil elaborandum censeo. Illis enim encomia & panegyrica adhibenda sunt, qui ex oratoris prædicationibus, non ex suis uirtutibus magnitudinem capiūt, & eloquentia attolluntur, non suis factis in sublime assurgunt. Fingit eos oratoris facūdia magnos, & ex magnitudine uenerabiles facit. Cupiunt enim mirum eorum desyderium apud superstites excitare, & mortuis eā uenerationem addere, quam uiui nunquā possedere. Cæterum ubi quis eam sublimitatem habet, ut suis meritis eximius, hominum opinione maximus habeatur, nihil indiget ad sui cōmendationem rhetorico artificio. Quod si ad talem celebrādum orator accesserit, potius studium pingendi, ut archetypum diligenter exprimat, quam artem fingendi adhibere debet. Nihil enim ipse nouum instituit, aut recens format, sed quod accepit, reddere oportet, & similia reponere. Quod mihi in Conradi funebri oratione cōtingere uideo. Non

enim mihi allaborandum est, ut eum magnum esse persua deam, qui tantus est in uestris sensibus, ut nullum incrementum accipere ualeat. Quod si alterum deesset, ut aut ille reuera maximus non esset, aut uestro iudicio non uideretur, tum haud dubie enitendum esset, ut ui eloquentiæ eum uel maximum esse ostēderem, uel persuaderem. Nunc utrunque simul existit. quantus enim est, tantus uidetur. Quamobrem nihil hac in parte enitendum est, nisi ut parem illius uirtutibus orationem adferam: ne laudes tāti uiri culpa uidear deterere ingenii, sed hoc ipsum operosissimum est. arduū enim, inquit Salustius, facta dictis exæquare. Etsi credimus Isocrati nihil facilius quam paruis addere magnitudinem. quicquid enim adiunxeris, id incremētum tam minutæ rei auget, in magnis molibus exæquādis, montem oportet adiicias, antequam ullum auctarium sentias. Iure igitur meus animus a tanta difficultate abhorret, præsertim quæ frustranei laboris uideatur. Si enim effecero, ut oratio mea Conradi laudibus respondeat, nihil aliud præstitero, nisi ut quod sentitis sentiatis, tantumque Conradum esse audiatis, quantum creditis, cognita cognoscentes. non aliter q̄ si rei alicuius mensura intellecta, instrumenta eius metiendi acciperetis. Absistam igitur ab hoc itinere, & ad alia utiliora cursum deflectam, quod tum præstiturum me arbitrabor, si conceptum de tanti uiri obitu dolorem, rationibus mitigauero, & animos nostros in tanto luctu utcunque sanauero. Scio me rem grauissimam tentare, & miris difficultatibus impeditam, & nescio an duriorem, quam superiora illa sunt, quæ prius recensui. Ibi enim ex ipsis rebus sumerem, quo orationem instruerem, & ex Conradi laudibus laudes mutuarē, & pro materiæ ubertate inundaret oratio. nunc me mira circunstat inopia. Qui enim consolari cupiunt, illis docendū est, aut parua esse, quæ amissa sunt, aut spem recuperandi magnam, aut aliorum bonorum recompensatio

pensatio

pensatione iacturam illam resarciri posse: nihil horũ mihi ad consolationem faciendam ulla ex parte suppetit. Si enim dixero parua esse, quæ amisimus, apud quem dictis meis fidem inueniam? cum fama uiri, quem paruũ essem dicturus, magnitudine sua orbem terrarum impleuerit, atq; ibi Conradus paruus sit, ubi eruditio, literæ, ipsæ denique Musæ parui habentur?. Nihil igitur ista uia ad consolationẽ processerimus. Age secundã tẽtemus, dicamus facilẽ esse amissi Conradi recuperationem. utinam illud ulla ex parte uerũ esset. si peregre abesset, reditum sperare mus, si ægrotus ualetudinem prosperiorem. si captus, redemptionẽ expectaremus. Nunc, proh dolor, non illum peregrinatio distinet, nõ morbus detinet, nõ uincula impediunt, sed æterna absentia a nobis segregatus est. mors illum ę uiuorũ numero abstulit, abstulit Louanio, abstulit nobis, orbi denią; uniuerso abstulit. Solus Hercules, solus Aeneas ab inferis redire, sed uiui descenderant. Ex mortuis Protesilaus unicam noctẽ ad reditum impetrauit, non ut uiueret, sed ut umbra sese in somnis ostenderet. Euridicæ regressus ad uitam concessus est: sed spem eam non extra limina inferorum extulit, retracta e medio cursu ad solitas suas tenebras. Recte igitur a Poeta cantatum est. Panditur ad nullas ianua nigra preces. Ergo spes omnis recuperãdi tam uenerandi capitis in æternũ abscissa est, quid enim speres, ubi uota omnia æterna desperatione obsidentur? Quid restat igitur, nisi ut tertiam consolandi rationem exploremus, scilicet tanti uiri iacturam aliis bonis esse pẽsatam, & in aliquo uel qui succeßit uel succedere potuit paria reperiri. Me miserum, de me ipso loqui uerecundia prohibet. in utramq; enim partem oratio turpis est, siue me laudauero, siue uituperauero, de aliis quid dicam non inuenio. Habet fortasse Louanium aliquos Conrado non inferiores, sed meus dolor nondũ id in aliis esse intelligere potest, quod in Con

ra-

rado amisimus: relinquēda est igitur & ista uia, quæ aut uerecūdiæ præcipitia, aut doloris cæcitatē caliginemq; possidet. Inuestigandus est alius modus ad uim mœroris cohibēdam, & cum in re nihil sit, unde in isto luctu consolatio hauriatur, ab animis nostris petendum est, quod alibi non inuenitur. Petendum est, inquam, a tolerantia, modestia, illa, ut inuicta uim luctus sustineat, ista, ut sua temperie dolores moderetur. Amisimus Conradum uirum eloquentissimum, sed & amisimus Ciceronem fontem eloquentiæ, deinde non eodē modo amisimus. Amisimus fato, non ui hostili: eius extremo spiritui adfuerūt amici, qui exciperent, nō tyranni mucro qui perfosso corpore sanguinem exhauriret. Lento morbo, & ferme sine sensu mortis mortem expertus est, qualem uitæ perfunctionem Augustus Cæsar Εὐθανασίαν appellare solitus est. Requieuit inter amplexus suorum: collapsa membra defecto spiritu ab amicis in lectulo composita sunt. non caput auulsum, nō manus truncatæ, ut Ciceroni contigit, in rostris affixæ fuerunt. non uenenum bibit, ut Demosthenes. non cicutam, ut Socrates. nō carcerali supplicio affectus est, ut Boetius, ut Symmachus. Nulla tragœdia in morte eius adfuit, qualis & superioris æui, & nostri tēporis doctos inuasit. Nihil eius uitæ finem nisi fata, nisi natura occupauit. Eius morti nullā indignitatem casuum uis, aut hominū libido attulit. Non ut Aeschylus ab aquila iniectu testudinis occisus. nō ut Sophocles acino uuæ strangulatus. non ut Euripides a canibus dilaceratus. nō ut Lucianus fulmine & naufragio extinctus: atqui nō nisi doctorum hominum mortes recenseo. sed pedetentim lento gradu, quasi ab inuitāte minimeq; uiolento ad conuiuium alterius uitæ perductus est. Atq; ita per minutissimas partes, uitales spiritus amisit, ut quid amisisset non intelligeret: nec formidine mortis exagitatus est, qui se nusquam ad confinia mortis peruenisse sentiebat. Similis

fuit

fuit uitæ exitu Erasmo, non Moro. & quum utrunq; cha
rissimum habuisset, utrumq; fatis ereptum, quasi præmis
sos ad aliam uitam duces, sine longo interuallo prosecu-
tus est, ut qui nollet diutius a charissimis capitibus disiű
gi. Ingressus ad extremum diem, sed ea uia, qua Erasmus
præcesserat, non qua Morus raptus fuerat. Est igitur ali-
quid in ipsa morte, quod uellemus, quod optaremus: &
quia uolumus & optamus, aliquid certe a dolore uacui
habet. Si enim moriendum erat, ut moriendum fuit, non
aliam fati necessitatē præstātissimo uiro optauissemus,
quam ut ubi uitæ finis adesset, potius longo & lento
morbo paulatim deficeret, q̃ subitis doloribus & in ui-
gentes sensus incumbentibus excruciaretur. uitaq; ipsius
potius sponte quasi abiret, q̃ extorqueretur. Deinde &
hoc quoq; inter lenimina doloris annumerandum est,
quod ita uirtutibus se excoluerat, ut optima spes sit, eum
apud Christum in beatas sedes receptum esse. In ipsis fe-
riis Natalis Christi, quæ non longe eius obitum antecess
serunt, corpore Dominico, & ritibus ecclesiasticis se com
muniuit. Nec caret omine, quod ipso die conuersionis
Pauli ex hoc nostro orbe subductus est. Quo enim die
doctor gentium ex Iudaismo ad Christianismum subla-
tus, eodem die Cōradus doctor optimarum literarum,
ad Christum immortalem ex mortalium cetu translatus
est. Sed inquiat aliquis, ista quantum ad Conradum, ali-
quid mollioris conditionis habent, quantum ad nos, ni
hil ex doloribus nostris detrahere uidentur. Nos enim
utcunq; quomodocunq; amiserimus, semper Conradum
amisimus. Non enim ex modo amittendi quicquam ia-
ctura imminuitur. Aeque nobis periit doctissimus Con
radus, siue ista siue illa ratione occubuerit. Fateor ad dā
num nihil interesse, hocne an illo exitu a nobis discesse
rit. multum tamen referre ad rationem nostri luctus exi
stimo, qui pro magnitudine calamitatum eius, cuius ui-

ces dolemus, aut incremēta, aut decrementa suscipere debet, cum ad mensuram malorum, quæ amicus patitur, is qui ei amicus est, dolores habeat. Quē enim sua tantum incommoda sollicitant, auaritiæ dolorem, nō amicitiæ mœrorem patitur, & de lucro, non de amore affectus sumit. Nam ut gratulatio de amici bonis gaudium est, ita luctus de amici calamitatibus mœstitia. Qui ob sua damna angitur, non de me, sed de suis incommodis anxius est. συμπάθεια est inter eos, qui se mutuo amant. Vt enim inter membra de omnibus rebus communicatus sensus, ita affectus fortunarū inter amicos, non unum sed utrunque caput incessit: utrunq; suis qualitatibus imbuit, ut quod uni acciderit, ambo persentiscant. Nam ut speculum intuētis uultum accipit, nec alium habet, quam contemplantis, ita amicus animum pro amici fortunis gerit. Nec mirum est alterius malū uel bonum ad alterius sensus dimanare, quum in amicis una anima esse perhibeatur, & ex communione cordis concordes appellentur. Ergo si aliquanto minus mali fuit ex lenitate moriendi in obitu Conradi, minus quoq; ipsi hac in parte dolere debemus. Quod si ista noster luctus argutiora, quam solidiora arbitratur, saltem hoc habemus ueræ consolationis, quod in libris ipsum superstitem retinemus, quos paucos, sed exquisitos condidit. Transtulit enim Luciani Hermotimum, quod opus à Thoma Moro, cui dedicatum uoluit, tanti æstimatum est, ut eum inaurato poculo aureis Anglicis pleno remuneratus sit, existimans aureā uiri eloquentiam optimo auro & copiosissimo repensandā. Complexus est quoq; carmine plerosq; libros Erasmi. Præter hæc nihil scripsit, nec edidit, sed tñ abunde specimen sui dedit, quid in utroq; scribendi genere ualeret. Quod si cui minus laudandus uideatur, quod pauca conscripserit. Huic respondero. Ingenii laudē tam ex paucis, q̄ ex multis spectari posse, nec ut cognoscas frumentum

tum, opus esse inspectis omnibus granis. nec ut uinũ probes, totos cados degustãdos esse: nec ut uiri pectus agnoscas, multa uolumina ad id requiri. facile ex unguib⁹ leo, facile ex solo uestigio grãditas Herculis intelligitur. Non temere a Martiale dictũ est, Sepius in libro memoratur Persius uno, quam leuis in tota Marsus Amazonide. Cũ enim uirtutem alicuius eruditionis metiri uelis, non tam considerandum est quid scripserit, q̃ quid scribere potuerit. Alioquin si ex numero operũ æstimatio ingeniorum ineunda esset, ii quorũ libri interciderunt, laudem eruditionis amitterent. Nihil reliquit Pericles, nihil Pythagoras, alterum tamen oratorẽ maximum, alterum philosophũ eminentissimum arbitramur. nec iniuria. nam intra iudicium uenire debet, quid ipsi sint, non quid literis impresserint. Erasmi, non meũ, uerbũ est, Conradi ingenium quiduis potuisse, sed maluisse ipsum se obesulum, q̃ πολυγράφον, esse. Quid ergo? inuidus ipse sibi, studiorumq; inuidus orbi? quod ex tanta eruditione tam parum posteritati reliquit. Absit lõgissime istiusmodi opinio ab eo uiro, qui omnem ætatem docendæ iuuentuti impendit, & nimiis erudiendi laboribus fata, alioquin lõge distantia, uitæ suæ propius admouit. Quomodo enim studiosis fructus sui ingenii inuidere potuit, qui eorũ usui uitam insumpsit? Non temere dico, adfero uerba ab ipsius ore adhuc propemodũ calentia. sub ipsam enim mortem ista mecũ colloquutus est, cũ uideret me grauiter meo quoque malo excruciatum, ad ipsius lectum assidentem, ex doloribus brachii subinde ingemiscere. Quid istuc mi Nanni? uideo te non minus de brachio, q̃ me de capite laborare, atq; idem periculum tuũ membrum circunstare, quod totũ meum corpus inuasit. En quem finem habent nostra studia? Canescimus ante senectutẽ, morimur ante fata nostra: dum publicæ iuuẽtuti consulimus, male consulimus uitæ nostræ. sed bene impensum est, quicquid

studiosis impenditur, His dictis breui somno interquie/uit. Sensi igitur in illo uirtutes animales (ut medici aiũt) absumptas esse, uim ingenii solã incolumem restare, quæ illi in extremo quoq; spiritu præsens fuit. Non igitur inertia a scribendis, aut inuidia ab edendis operibus deterritus fuit, sed ociũ defuit, magnis magnorum operũ meditationibus debitum. dum enim aut curis distinetur, aut laboribus docendi frangitur, quam animi securitatem ad cogitationes, aut quas uires ad elaborationes, aut quæ tẽpora ad lucubrationes, habere potuit? Nã quicquid super fuit ocii, uellet, nollet, recreando corpusculo impendendũ erat. Multa a Cicerone cõscripta, sed pleraq; cum a Republica feriatus esset, pauca dum negociis ciuitatis distineretur. Et pulcherrimũ opus consolationis philosophiæ in ocio a Boetio Seuerino cõpositũ est. Iactanter quidem, uere tamen, de se Martialis locutus est. Ocia da nobis, sed qualia fecerat olim Mæcenas Flacco, Virgilioq; suo, Et tibi Virgiliũ uel mea rura dabunt. Quod si nihil operũ reliquisset, uos saltẽ reliquit, qui eius discipuli estis, quos omni eruditionis genere impleuit, hos ille reliquit & multos & uiuos libros, quiq; ipsi condendis operibus eius eruditionem per multos libros propagare possent. Age maioris æstimandus, qui picturas luculentas, an qui pictores luculentissimos? qui elegantia poemata, an qui elegantissimos poetas relinquit? qui libros, an qui librorum opifices faciat? Vos, uos inq̃, reliquit Conradus, de quorum ingeniis quid debeam iudicare, satis ostẽdunt tot disertissima epitaphia, his proximis diebus templorum ualuis affixa. Quid alii faciant, ignoro, ego certe magnã consolationem accipio, quum uideam in tot discipulis, quasi in numerosa prole, Conradi eruditionem superstitem esse. Ex ætate quoq; aliquid libenter elicerem, quod nostros mœrores alleuaret, sed me miserum, nihil illic inuenio quod ullam luctus mitigationẽ adferat. nisi quinquagesimum annum

finem

finem lõgissimæ ætatis arbitremur. Vixdum enim quadragesimum nonũ annum expleuerat, cum e medio studiorũ cursu abreptus est. Dolenda res, & si lachrymis quisquam proficeretur, perpetuis fletibus deploranda. cui enim multa sæcula optamus, in eius uita paucos annos numeramus. quantũ enim ad incrementum ingenii attinet, parũ ultra adultam ætatem progressus est, ut enim usq; ad trigesimũ quintum annũ corporis robora increscunt, ita ad quadragesimũ quintũ annum uires ingeniorũ adulescunt, quod spaciũ unico quadriennio Conradus transmisit. Periit ergo ingenio non senili, sed adulto, ita ut dicas iuuentutẽ aliquam corpori, adulescentiam integram ingenio adfuisse, cum hanc lucem reliquit. Verum quod in re non est, ex comparatione mutuandum est. In dolore nihil refert unde habeas, modo habeas, quo cruciatus animi compescas. Periit nondum senex Conradus, sed tamen non longe citra senectutem. eo enim in limite æui constitit, ut propinquior esset senectuti, quam uiridiori ætati. Iniquius uidetur actum cum Politiano, qui plane iuuenis extinctus est, nequaquam tantum transgressus trigesimum annum, quantum Conradus quadragesimum. Periit non maior Picus Mirandula, omnis æui miraculum. Periit adulescens Valerius Flaccus Virgilio æmulus futurus, nisi fata intercessissent. Quod si nomina eorum in hunc catalogum recipienda sunt, qui nondum maximi erant, sed parum aberat, quin maximi essent. Periit nostra ætate Longolius, omnium sententia Ciceronianissimus. Periit Petrus Mosellanus fœcundissimæ eruditionis. Periit Iacobus Ceratinus, in utraque lingua exquisitissime doctus. Periit Iacobus Bergensis, uir amœnissimi ingenii, quorum magnitudini nihil præter uitæ æuique breuitatem obstitisse uidetur. Semper quidem doctorum hominum mortes præproperæ ac peracerbæ existimandæ sunt, sed habent iniquiores Parcas, qui in

primis annis, quasi in herba, pereunt, quos fata potius in hac luce ostendunt, q̄ uitæ usum concedunt. Conradus, ut non longissimo, ita nequaq̄ breuissimo æuo, omnia consecutus est, quæ uiuacissima uita donare posset. Vt illud ex literis sacris non inepte applicaueris, consummatus in breui, expleuit tempora multa. Felix simul & literis, & literarum præmiis locupletissimis. Nec fama eruditioni, nec eruditio famæ, nec utrique fortuna defuit: nam pro incrementis unius, reliquæ duæ pari modo accreuerunt, ut quantum illic addidisset doctrinæ, tantum fama sese fortunaque cumularent. nec temporaria fuit in illum famæ fortunæque beneuolentia: sed quasi alumnum intra ulnas susceptum, nunquam e sinu suo abiecerunt. nec illum successus fortunæ semel acceptum, ullo in tempore destituit. eodem enim tenore prosperitatis ac claritudine totum uitæ spacium decursum est. Placuit magnis uiris, quorum gratia illi usque ad extremum diem incolumis fuit. magnæ authoritatis inter doctos. nihil de nomine eius progressu temporis diminutū est: maximæ reuerentiæ inter discipulos fuit. Retinuit suam maiestatem semper integram, ac uirescentem, nec assiduitate fatiauit, nec diuturnitate auditorē lassauit. Nec uiginti eius anni (tam diu enim docuit) quasi senio superueniente, quicq̄ de flore nouitatis amiserunt. Sed ut sol singulis diebus eadem luce reuertens, semper æque optabilis apparet, ita ille ad auditorium eadem cum gratia reuertebatur. Credo Heben deā iuuentutis, non tā superis nectar, q̄ illius uerbis amœnitatē nouitatis infudisse. non enim tam longi temporis frequentia sui fastidium, sed ardens desyderiū discipulis ingenerauit, ut quo illū sæpius audirēt, sæpius audire concupiscerent, passi quiddā quod hydropici solent, quibus ex crebritate bibendi, increbrescit sitis. Magna fœlicitas, in tā longo profitendi tempore non sentire discipulorum aut nauseam, aut stomachi cruditatē, quod duo

bus

bus maximis uiris obtingere non potuit, Lactantio Firmiano,& Rodolpho Agricolæ,quorũ alter ab auditorio desertus est, alter contumeliis euictus,auditoriũ deseruit. Nostro aũt Cõrado apud auditores indies magis accresce bat authoritas,quos fortasse explere poterat,satiare non poterat.Magnum quisq; putaret,si per quinquẽnium eos animos auditorũ habere posset, quod per quatuor quin quẽnia Conrado cõcessum est. tam diu enim docuit cum eadem sui admiratione,q̃ diu Vlysses & ad Troiam bella uit,& in mari erroribus iactatus fuit. Quamobrem non nihil ægritudo nostrorum animorũ remitti debet,quum tam longum usum Conradi habuerimus.Nam si sero ad professionem latinæ linguæ admotus fuisset,superuentu mortis tempora docẽdi arctiora habuisset.Bene sane hac in parte fata,alioquin malignissima, iuuẽtuti Louanien si consuluere,quod illũ in ipsa adulescentia docendi mu neribus adiũxere,quem ante senectutem sublatura essent, ut tempora ipsius citius illis functionibus præoccuparentur, quæ ad ingrauescentem ætatem pertingere non poterant, quodq; eum statim summo & honoratissimo loco constituerunt,ubi uirtutem eruditionis suæ summa cum luce explicare posset.Multi a fortuna in ea obscuritate detinentur,ut per eã caliginem, qua obsidentur, radiis suis penetrare nequeant. Fuerunt temporibus Apellis quidam pictores arte peritiaq; ipsi pares,sed tenebricositate famæ laborantes, quorum nomen in æternum latuisset,nisi ipse Apelles eos in lucem extulisset,dũ ipso rum tabulas emit,ac pro suis ædit.Nec sine causa dictum est a Themistocle,se nunq̃ tam clarũ futurũ fuisse, si pro Atheniensi,Seriphius natus fuisset. Locus quidem illustrior,ut uirtutes non donat,ita quas accipit,illustriores facit. Non ita diu Conradus magisterio artiũ promotus erat,quũ professor linguæ latinæ creatus est,quãuis tum competitorem haberet Iacobum Ceratinum, iuuenem

& utriusq; linguæ peritia instructissimum, & gratia Eras mi florentissimum. Tanta iam tum amplitudo uiri, uel uisa est, uel sperata, ut cum ipse inter initia suæ famæ cō sisteret, iuuenem adultæ gloriæ superarit. Et Erasmus, contra cuius uoluntatem hāc professionem obtinuerat, in fortunæ, aliorumq; sententiā, quasi pedibus concessit, & prærogatiuam cæterorū suo suffragio subsecutus est, atq; illum inter arctissimæ familiaritatis amicos semper habuit. Quod scriptis, muneribus, testamentis, legatis, fi dei cōmissis, & in uita, & in morte, testatus est, atq; ulti mam suā uoluntatem, illius curæ magna ex parte deman dauit, quibus rebus factū est, ut fama eius statim, quasi flā ma, ad summa emicuerit, eaq; a principio magnitudine ex titerit, qua semper fuit. Non dicā hac in re fœlicem fuisse Conradū, sed tamen non infœlicem asseuerabo, qui debi ta cōsecutus sit. Quid enim magis debebatur, q̄ ut in sum mo facundiæ loco consisteret, qui facūdissimus esset? aut ut doctissimū Erasmum amicum haberet, qui ipse quoq; doctissimus esset? Sed quia multis istiusmodi præsidia e tiam in insigni eruditione defuerūt, atq; utinā in præsen tia non deessent, laudanda est fortuna, quæ tali chora gio nomē celebritatēq; famæ Conradi instruxit. Et quod statim eū prælectorem in latinis dederit, quem ante sene ctutem erreptura esset, ut tēpore iuuentutis anticiparetur quod in senio haberi non poterat. Nā si causam studioso rum, non ipsius Conradi, respicere uelimus, parum inter esse uidetur, serius an citius docuerit, quū æque multum, æque diu docuerit. Mensura enim tēporis pari magnitu dine distenditur, atq; intra eundē modū continetur, siue quid prius, siue posterius agas, modo eodē spacio ac pa ri diuturnitate agas. Scio quid dici possit, docuit multum, non docuit satis. fateor, sed quid facias? rebus non ex me ritis diuturnitas, aut pro hominum uotis longæuitas di spensatur, sed pro libidine Parcarum, nunc laxiora, nunc

arctiora

arctiora tẽpora attribuũtur. Et mihi propoſitũ undecun que conſolationẽ aucupari, & habet quiddã conſolationis, diu rebus cupitis frui, etſi non ſemper fruaris, cum nihil æternũ ſit in rebus humanis. Nec cõqueri de fame debet, quem menſa ſi non ad faſtidium expleuit, ſatiauit tamen. Cogitandũ eſt igitur, non quod non Conradũ habeamus, ſed quod illũ diu habuerimus, ut habendi deſideria ferre poſſimus. Hactenus dixi, quid noſtrã animi ægritudinẽ lenire poſſit, quæ ſi iſtiuſmodi fomẽtis acquieuerit, minus acutos doloris aculeos ſenſura uidetur. Si enim amiſimus Conradũ, mortalẽ amiſimus, ſi amiſimus eloquẽtiſsimũ, fontes ipſos eloquentiæ amiſimus. Si eũ amiſimus, amiſimus molliſſimo genere moriendi, cui nec dolor grauis, nec indignitas adfuit. habemus illũ ſuperſtitẽ in libris ſuis, habemus in ueſtra eruditione. diu eiusdo ctrina uſi ſumus, nihil infœlicitatis in tota eius uita perſpeximus. debuit eſſe aliquis finis, qui ſi citius uenit q̃ optabamus, at talis uenit, qualẽ optabamus. Nũc aũt dicendũ eſt, quid nobis dignũ, dignũ Conrado ſit. Si enim Aeneas ſocios qui in prælio occubuerãt, ſupremis honoribus q̃ maxime decorari uoluit, qđ his uerbis oſtẽdit, Ite, ait, egregias aĩas, quæ ſanguine nobis Hanc patriã pepe rere ſuo, decorate ſupremis muneribus, quid nobis Conrado facere iuſtũ piũq; exiſtimabimus? qui nõ bellando, ſed ſtudẽdo, docẽdo, uitã iuuẽtuti impartiit, nõ ꝑ patria, ſed pro ſtudioſis, mortuus eſt. Si legatis ad hoſtes miſſis, ubi uel ui uel morbo extĩcti eſſent, ſtatua pedeſtris in roſtris collocabatur, ſi Seruii Sulpitii funus publicis impẽſis procuratũ fuit, eo qđ in itinere ad Antonium miſſus ex morbo deceſſerat, Si apud Lacedæmonios ſua peculiaria ſepulchra habẽt, quos mors e uiuis bello abſtulit, Si apud Athenienſes de Rep. benemeriti, uiui ĩ Prytaneio domicilium, fato functi in Ceramico monumẽta hñt, Si apud Roman. in numerũ deorũ referuntur, qui pomeria ditionis Romanæ amplificauerũt, quid nobis faciẽdũ, quæſo

diſpicite. Non enim ſtatuarum honor amplius in uſu eſt, nec merita ſepulchris diſtinguuntur, nec diuinitas ſiue ἀποθέωσις Chriſtianorum iudiciis mortali aſsignatur, quibus beneficiis mortui gratiã demerebimur? Omnia priſca honorandi munia præſens conſuetudo aboleuit, unum quiddam reſtat, ſed quod reſtat, ampliſsimum eſt. Sepeliamus illum, non ut Alauda patrem, quem in capite ſuo ſepeliit, unde τυμβοφόρος appellatur, non ut Arte miſia fratrem, epotatis eius cineribus, intra uiſcera condidit, ſed reponamus hominem diuinum, in diuiniſsima hominis parte, in mente ſcilicet noſtra, ibi figatur, non ſtatua muta, ſed idæa eloquens. concionetur in memoria noſtra ſolita ſua eloquentia. quicquid unquam dixit, ſcripſit, perpetua recordatione nobiſcum retractemus. Merentur hoc ampliſsimi uiri dotes innumeræ, quem natura acutiſsimo ingenio inſtruxit, fortuna proſperitate beauit, erudiriſsimi uiri coluerunt, potentiſſimi maximis muneribus exornarunt, quem ſua merita nobis uenerabilem faciunt, libri ab obliuione uendicant, uirtutes Deo ſuperiſque commendant.

Dixi.